

Ill/mae et R/mae Domine.

d 2437

2445

Legi, et quidem attentissime et iterum atque iterum, literas Ill/mae et R/mae Dominationis V/rae datas die 20. julii et ex earum lectione magnum concepi dolorem et desiderium ingens succurrendi regionibus in tanto periculo constitutis. Sed quid ageret homo octogenarius, fractus laboribus variis, qui sine adminiculo jam non potest ascendere vel descendere. Egi quod potui. Adivi Pontificem Maximum, exposui non solum quae in literis R/mae Dom.V. continentur, sed etiam, quae audivi à non paucis viris gravibus et honoratis, tum sacerdotibus, tum secularibus, de periculis imminentibus valli Tellinae; sed paulum aut nihil profeci. Non quod Summus Pontifex non cupiat opem ferre periculis imminentibus, sed quod graviora timeat, si non fiat quod legati regum Galliae et Hispaniae et ipsius Apostolicae Sedis videntur apud Lucernam decrevisse. Confidimus tamen in bono Domino Deo nostro, qui potens est facere multo majora quam nos petere aut optare possumus. Nolo esse prolixior et sine utilitate vexare senilem personam vestram; et cum ipsi periculis imminentibus occurrere non possemus, bono Domino Deo nostro ardentibus precibus pericula Ecclesiae suae fideliter commendemus. His valeat Ill/ma et R/ma Amplitudo vestra mei memor in sanctis precibus suis. Romae 12. augusti 1621.

Ill/mae et R/mae D.V.

Addictissimus, et ad omne obsequium paratus